



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Basilicae S. Mariae. Maioris De. Vrbe A. Liberio. Papa. I.
Vsque Ad. Pavlvn. V. Pont. Max Descriptio. Et. Delineatio**

Angelis, Paolo de

Roma, 1621

Cap. IV. De Vicarijs in genere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13873

DE VICARIIS
IN GENERE.

Cap. IV.



OSTQVAM indicauimus quid sit Archipresbyter, vna cum officio, ac dignitate, non solum generatim, sed etiam peculiariter exprime- do, & praesertim de ijs ad Romanas Patriarchales spectantibus, qui Cardinales existunt Vicarios substituunt, & ordinariam iurisdictionem, velut Episcopi, pro iustitiae administratione tuentur; valde est conueniens attingere quid Vicarij nomen importet, nec non quot species, tam in iure ciuili, quam canonico se dedant. postmodum ad nostrae Basilicae Vicarios properabimus à Cardinalibus Archipresbyteris institutos. Ergo asserimus hanc vocem, simpliciter acceptam, valde se diffundere, & quoduis significare ab alio substitutum, ad quamcumque administrationem; dummodo illi iurisdictione temporalis, & spiritualis sit tradita. Etenim Magistratus, & quiuis Praefectus proprios Vicarios habebant, per quos ciuiles causas exercerent. hinc Episcopi, atque Archiepiscopi plurima Vicarijs committunt; immo summus Pontifex Romanus, quamuis Catholicae Ecclesiae sit primus, nec non Christi Vicarius, tamen velut Romanus Episcopus, Romae Vicarium seruat, nimirum Cardinalem. Quamquam est obseruandum in iure canonico, Vicarium dupliciter vsurpari, vno modo, vt perpetuum insinuet, altero ad aliquod tempus, velut Azor. docet. Nos dicemus varia Vicarij genera esse, quorum duo praecipua censentur: nam aliqui absque hominis opera, & ipsa lege constituuntur; aliqui verò humanum factum requirunt, sicut Maranta distinguit: deinde de ijs trademus, qui possunt amoueri. Primi in sex species diuiduntur, quarum prima ad summos Pontifices spectat, quibus per Dominum clauis aeternae vitae traditae, & terreni simul, ac caelestis Imperij fuerunt iura commissa. Altera verò ad Episcopos spectat, qui Apostolis successerunt, & horum loco gubernant. Tertia Presbyteros continet: nam messem multam videntes, operarios autem paucos, cum Dominum messis rogassent, vt mitteret operarios in messem suam, elegerunt septua-

aginta duos Discipulos, quorum vicem Presbyteri agunt. Quarta sunt Cathedralia Capitula, dum mortuo Episcopo sedes vacat, quo tempore gubernant. Quinta Archidiaconos comprehendit, qui Episcopo absente, si Vicarius desit, ipso iure Vicarij euadunt. Sexta Archipresbyteros includit, in Cathedralibus Vicarios appellatos, quatenus ad spiritualia attinet. Vicarij hominis opera constituti, alij spirituales: alij temporales putantur. Primi ex iure canonico creantur, & quidam semper, nonnulli ad tempus perdurant. Hic paucis de vltimis trademus, velut magis ad rem nostram aptis; de reliquis verò poterit Azorius videri, egregie hanc rem pertractans. Secunda igitur Vicarij species, tum in iure ciuili, tum quoque in canonico temporaria, vt per Azorium his verbis: *Vicarius verò temporarius is dicitur, qui auctoritate alicuius in locum alterius ad tempus sufficitur, & ad nutum eius, qui ipsam substituit reuocari potest.* Et de his eloquimur, quorum Capitulum peruenit de appellat. meminit. Quod si aliquis perquirat, an Vicarij Patriarchalium Urbis iurisdictionem teneant, quoue pertingat, & praesertim illi sanctae Mariae maioris: respondemus ordinariam iurisdictionem seruare, velut Cardinalis Archipresbyter; nec ab illa distare, quam Episcopi Vicarij gerunt. Azorius sic ait: *Ordinariam habere, cum nimirum eam habeat in totum territorium Episcopo subiectum.* Ita sanctae Mariae maioris Vicarius iurisdictionem ordinariam habet in totam Basilicam Archipresbytero subiectam.

Addimus Urbis Patriarchalium Vicarios solere Praelatos, Episcopos, Archiepiscopos esse, quod raro de Episcoporum Vicarijs contingit. Atque haec pro Vicarijs in genere satis sit delibasse. Modo nonnullos Vicarios attingemus, quos fide dignis scripturis cognouimus.



Quid Vicarij nomen importet.

Tit. extat de off. Vicarij.

Varia Vicarij genera.

De primo est cap. excipienda, §. qui vero. de pr. ab. e. ex parte, de off. Vicar. c. 2. perpetuum de fid. instrum. Azor. Institut. moral. par. 2. libro 3. cap. 6. Mar. De ord. iudic. par. 4. dist. 5. princ. num. 6. & Struc. de Vicar. Episc. q. 3. nu. 1. c. 2. lib. 1. Capit. quamuis 41. dist. c. Can. omnei. 22. dist. c. sunt Vicarij Christi, cap. ubi periculum. S. ceterum c. capit. fundamenta. §. docet de elect. in 6. Capit. Legimus, 93. dist. c. in no. 21. dist. cap. quoru vice. 69.

dist. c. 2. 1. per franti de la era vni. Glor. in c. con. co. 2. not. de maior. c. obel. in c. & tenor. in cap. cum r. num. 4. c. de de respic.

Cap. 1. ubi glor. c. Bart. et Cas. ad hoc. §. iura dicit. c. 5. cum off. extra de off. Archipresb.

Hollan. de off. Archipresb. c. Struc. d. 9. §. 1. num. 8. c. ad ad num. 18. Abi. in dist. excipienda §. qui vero. num. 2. in prin.

Vide in Prae. Leon. in suo de sacro franc. de c. ioseph. de off. Vicar. cap. 10.

Innoc. Hist. c. Abi. in cap. na nobis. de off. Vic. in Prae. Leon. de Vicar. c. 10. par. cum thesa. Ecclis.

DI
liq
quib
P
thet
ad id
Care
dem
Caro
3. O
thau
riam
pro La
ro. E
Arch
tertia
L
lofua
no 1
nus P
slicae
Card
phan
tituli
Ic
rone
gorij
V
habe
titill
anne
- I
lum
die q
- F
la y d
F
rius
Fra
ma
Pom
Ider
142
ann
Gu